

quoad maximam partem confutata fuerunt ab Excellentissimo Dn. GRIEBNERO *Dissert. de his, quae ex jure protestantium matrimoniali ad reliquias Sacramenti perperam referuntur*, quare his denuo recensendis & diluendis supersedeo, id tantum, quod maximum rei momentum est, absque temeritate adjicio, esse frivolam cavillationem, qua asserta nostra de Moralitate Polygamiae, Concubinatus, & Divortiis, quanta, quanta sint, non ex prima Conjugii institutione, quae instar legis est, sed ex adducta falsa Juris Canonici hypothese derivari & probari, Novatores aliis persuadere volunt.

§. XIV. Quinto denique caput de ADIAPHORIS plenissimum esse, imo abundare adhuc pontificio fermento, profitetur THOMASIVS in *denen Anmerckungen über Pufendorfs Geistliche Monarchie p. 200. Es wären Reliquien des Pabstthums, Bilder, der Exorcismus, die Obren-Beichte*. Qua ratione autem haec reliquiae papales dici possint, non video, 1) non in medio Papatu, & ex superstitione, sed puriore adhuc existente Ecclesia, ex bono consilio, sine admixtis erroribus ad emendationem, ordinem, utilitatem & ornamentum in Ecclesias paulatim fuerunt introducta. 2) ea, quae destituuntur omni usu, & ex se sunt superstitiosa, Pontificiis reliquimus, nec iisdem nos maculari volumus. 3) ex Christiana libertate, non autem mera necessitate, ejusmodi adiaphoris utimur, eorum autem plenam abrogationem, sine Ecclesiae consensu, ab absoluto Principis arbitrio dependere, ob periculum Christianae libertatis, quod exinde redundare possit, diffitemur. Hinc multa etiam falso praesupponuntur, quae hanc in rem affert THOMASIVS, vel potius BRENNEISENIVS *Dissert. de Jure Principis circa Adiaphora; & ejus Abhandlung vom Recht Evangelischer Fürsten in Mittel-Dingen, oder Kirchen-Ceremonien*. Uno verbo, omnes ac singulas ceremonias, quibus nunc in nostris Ecclesiis gaudemus, nulla ratione fermentum aliquod pontificium dici & nominari posse, confidenter affirmo.

Placet